

leant dolores videatur apud *Tb. Erastum Disput. de Narcoticis.* Immanes vero scorbuticorum ventris dolores quomodo hyoscyamo imposito compescendi sint, habet *Travvitiuus de Artbr. Scorb. Sect. 8. p. 315.* Ut taceamus suffitum seminis hyoscyami tam præsens esse contra vermes remedium, ut eosdem è dentibus non solum, sed & auribus naribusque, si cavo illarum excipiatur, eliciat.

## §. VII.

Liceat nobis mentionem hic etiam facere Nucis Vomicae, notissimi quidem veneni, de quo tamen nunquam fere convenire inter se potuerunt Medici, an homini æque ac felibus, avibus canibusque noceat. Canes quidem & feles quod attinet, nuce Vomica eosdem enecari posse, loquuntur tot observationes atque experimenta ab autoribus annotata, videantur cum primis quæ hanc in rem habet *Johannes Bauhinus in Hist. Plant. Univers. L. 3. cap. 145.* ex observatione *Conr. Gesneri*, item *Anton. de Heide Obs. 50.* quorum relatione constat, canes post assumptas has nuces in profundissimum incidisse soporem, atque accedentibus tandem convulsionibus concidisse mortuos. Innoxie autem nucem Vomicanam ab hominibus assumi, vetus est traditio, ab ipso *Dan. Sennerto*, post varias dubitationes, tandem approbata in *Paralipomenis*, ubi expresse asserit, posse nucem Vomicanam, pro eodem scopo ac Opium alexipharmacis admisceri: quò inclinare etiam videtur *Rolfincius O. & M. M. spec. L. 9. cap. 4.* In hanc autem sententiam tractos fuisse nominatos jam autores probabile est ex hac potissimum ratione, quod homines, qui assumpserunt interne nucem Vomicanam, sudorem saltem ingentem absque vomitionibus aliquando experti fuerint, quod testatur inter alios *Fallo-*

B

*pius*